

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Ieiunium t  
cum fonte primo

Si sola gula peccauit, sola ieiunet et sufficit.  
Si uero peccauerunt et membra cetera, cur non ieiunent et ipsa?

Ieiunet igitur oculus a curiosis aspectibus et omni petulancia,  
ut bene humiliatus coherceatur in penitencia,  
qui male liber uagabatur in culpa.

Ieiunet auris nequiter pruriens a fabulis et rumoribus,  
et quecumque ociosa sunt et ad salutem minime pertinentia.

Ieiunet lingua a detractone et murmuratione, ab inutilibus,  
uanis atque scurrilibus uerbis, interdum quoque,  
ob grauitatem silentii ab ipsis que uideri poterant necessaria.

Ieiunet manus ab ociosis signis et ab operibus omnibus,  
quecumque non sunt imperata.

Sed et multo magis anima ipsa ieiunet a uiciis et propria uoluntate sua.

Et enim sine ieiunio hec cetera a Domino reprobantur, sicut scriptum est,  
quia in diebus ieiuniorum uestrorum uoluntates uestre inueniuntur.

Bernardus sermone XXXVII.

Quod si gula sola peccauit, sola quoque ieiunet, et sufficit.

Si uero peccauerunt et membra cetera, cur non ieiunent et ipsa?

→ Ieiunet igitur oculus, qui depraedatus est animam;  
ieiunet auris, ieiunet lingua, ieiunet manus, ieiunet etiam anima ipsa.

← Ieiunet oculus a curiosis aspectibus et omni petulancia,  
ut bene humiliatus coherceatur in paenitentia,  
qui male liber uagabatur in culpa.

Ieiunet auris nequiter pruriens a fabulis et rumoribus,  
et quecumque ociosa sunt, et ad salutem minime pertinentia.

Ieiunet lingua a detractone et murmuratione, ab inutilibus,  
uanis atque scurrilibus uerbis, interdum quoque,  
ob grauitatem silentii, et ab ipsis quae uideri poterant necessaria.

Ieiunet manus ab otiosis signis, et ab operibus omnibus,  
quecumque non sunt imperata;

sed et multo magis anima ipsa ieiunet a uitiis et propria uoluntate sua.

Etenim sine ieiunio hoc cetera a Domino reprobantur, sicut scriptum est,  
quia in diebus ieiuniorum uestrorum uoluntates uestrae inueniuntur.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones in quadragesima*, 3.4 (SBO 4,  
J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.367, ll.4-17).